

cip. *Supernæ*, et patet experientia, ac per consequens æquali ac majori titulo gaudent privilegio habendi oratorium privatum, sicut episcopi, et inibi missam audientes diebus festis satisfaciunt præcepto. *Communis.*

(72. Item non comprehenduntur in decreto tollente oratoria privata, capellæ et oratoria privata regularium. Possunt enim adhuc hodie generales et provinciales regularium in suis conventibus et collegiis erigere privata oratoria: dummodo ad divinum cultum tantum sint deputata, et in ipsis absque alia episcopi, vel Summi Pontificis facultate possunt legi eodem die plures missæ, nedum a regularibus, sed etiam a presbyteris sæcularibus; cum hoc privilegium non sit personale tantum, sed etiam locale, quo frui possunt omnes alii sacerdotes. Sic Aversa, Hieronymus Garcias, Lezana, Suarez, Lugo, Bassæus, Azorius, Fagundez, Marchinus, Reginaldus, Miranda, Tamburinus, Peyrinus, et alii innumerati citati, et secuti a doctissimo Patre Rosignolo, *De eucharistia*, q. 8, art. 14, num. 1. Et sic tenent etiam Diana part. ix, tract. 1, resolut. 32 et 34; Quarti, part. iv, tract. 10, dub. 9; La Croix, lib. vi, part. ii, n. 27, et alii passim.

(73. Nec quoad hæc oratoria fuerunt revocata privilegia regularium a concilio Tridentino sess. xxii, in decreto *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, quia ibi concilium revocavit solum privilegia celebrandi missam in *privatis domibus*. Unde in ipso decreto comprehenduntur duntaxat oratoria in particularium domibus existentia, ut sæpius declaravit sacra congr. per decreta allata *supra* num. 68. (74. Et dato etiam, quod per concilium fuissent revocata privilegia concessa antecederet regularibus habendi in suis conventibus et collegiis oratoria privata, et ibi celebrandi, fuerunt tamen innovata per posteriorem concessionem factam post ipsum concilium Societati Jesu, et in virtute communicationis privilegiorum etiam aliis regularibus a Gregorio XIII, die 3 Maii 1575 per Breve incip. *Decet Romanum Pontificem*, in quo sic expresse habetur: « Volumus ut in oratoriis et capellis quæ ipsius Societatis provinciales per se in domibus, collegiis, et aliis locis, ubi aliqui Societatis residebunt, approbaverint, et ad divinum duntaxat cultum deputaverint, missæ, et alia divina officia, alterius licentia minime requisita, celebrari possint. » (75. Nec etiam quoad hæc oratoria privata sunt revocata privilegia regularium in novissimo decreto Clementis XI de celebratione in oratoriis privatis adducto *supra* num. 5, quia decretum, ut illud legenti patet, loquitur solum de altari portatili, ibi: « Quo vero ad altare portatile... Utendi dicto altari portatili. »

(76. In supradictis privatis regularium oratoriis, seu capellis possunt omnes fideles missam audire, et satisfacere præcepto audiendi sacrum diebus festis: quia ista

(151) Vide Benedicti XIV litteras in forma brevis relatas verb. CAPELLA, ad num. 78.

oratoria gaudent privilegio oratorii publici, cum sint per modum habitus deputata duntaxat ad divinum cultum, et tale privilegium non sit personale tantum, sed etiam locale, quo frui possunt etiam omnes alii Christianifideles. Sic Tamburini, *Opuscul. de sacrific.*, lib. 1, cap. 4, § 3, num. 6, citans Azorium, Suarez, et Dianam, Quarti, *loc. cit.*, part. iii, tit. 10, dub. 9, § *Colligitur* 3; Rosignolus, *loc. cit.*, num. 7, verb. *Secunda*, ubi expresse dicit, quod in dictis oratoriis « Omnes indifferenter et libere audiunt sacrum, nec ullus est qui dubitet quin præcepto satisfaciunt. »

(77. Cardinalis Petra tamen tom. II *Commentar. ad constit. 8 Honorii III*, num. 48 et 49, sic præcise habet: « Illud autem, an sæculares ibi missam audientes satisfaciunt præcepto? certum est regulariter non satisfacere, nisi speciale sit privilegium, quod debet in fonte revideri, prout an in illis oratoriis possint celebrare sacerdotes sæculares; » ut animadvertit Passerini, *De statib. homin.*, tit. 3, q. 186, art. 10, num. 982. »

(78. An autem regulares possint habere oratoria privata, etiam extra conventus in grangiis et domibus ruralibus utilitatis et recreationis causa acquisitis? Variant doctores. Affirmativam enim tenent Lezana, Rodriguez, Peyrin., de la Croix, Henriquez, Leo, Quintanadven., Garcias, Pellizzarius, Diana, Aloysius de S. Joanne, et Miranda citati, et secuti a sapientissimo Patre Rosignolo, *loc. cit.*, num. 4 et seq., ubi id late probat, et ostendit non posse regulares in hoc impediri ab episcopis, concluditque omnes audientes missam in dictis oratoriis sitis in eorum grangiis et domibus ruralibus, satisfacere præcepto audiendi sacrum in diebus festis. *Vide* ipsum *loc. cit.*, et Quarti, *loc. cit.*, dub. 9, per totum. Negativam autem docent card. Petra, *loc. cit.*, num. 53; Matthæuc., *Officialis curia* cap. 10, num. 83, ubi dicunt post concilium Tridentinum esse prohibitum; nam sacra congr. Concilii die 1 Martii 1687, ad dubium oratorii: « An sacerdos regularis absque peculiari Sedis Apostolicæ indulto possit in domo rurali monasterii celebrare; » respondit *negative*; unde recte monet dict. card. Petra in hac materia respicienda esse attente verba privilegiorum an etiam se extendant ad parvas domos recreationis (154).

(79. Ut regularium oratoria privata legitime erigantur, et deputentur, ex verbis allegati privilegii Gregorii XIII requiritur, ut provinciales per se ipsos locum observent, et designent; privilegium enim sic habet expresse: « Ut in oratoriis et capellis, quæ ipsius Societatis provinciales per se approbaverint, et ad divinum duntaxat cultum deputaverint. » Et per hoc card. de Lugo in *Responsis moralibus*, l. 1, dub. 14, solide defendit, non posse superiores locales hujusmodi oratoria per se designare, et approbare, sed solum posse ex commissione

provincialis judicare de decentia et idoneitate loci, et postea ipsum informare, ut juxta ipsam informationem provincialis per se approbet, et deputet locum in oratorium, quamvis sit absens, cum non magis requiratur hic præsentia approbantis, quam in absolute a censura, quæ per omnes omnino ab absente dari potest; Quarti tamen, *loc. cit.*, dub. 8, in fine, et Diana, *loc. cit.*, censent posse superiores locales designare, et approbare locum saltem ex ratihabitione, aut commissione præsumpta provincialis.

(80. Hinc pro complemento juvat afferre sequentem resolutionem sacre congregationis Concilii relata ab eminentissimo Petra, tom. III *Commentar. ad constit. 11 Alexandri IV*, n. 33, ibi: Sacra congreg. Conc. in *Messanen. Privilegii* 20 Septemb. 1698, lib. XLVIII *Decret.*, pag. 474, propositis dubiis:

« I. An regularis Theatinus potuerit licite erigere altare portatile, sacrum peragere, et sanctissimum viaticum ministrare alteri regulari infirmo in domo privata illius consanguineorum absque licentia ordinarii aut parochi? »

« II. An possit ordinarius in hoc et similibus casibus procedere contra regulares etiam per censuras? » Respondit: « ad I. *Negative*; ad II. *Affirmative*, sed in præsentibus non molestandum. »

(81. Non permittitur a sacra congregatione oratorium cum beneficio in domo privata. Imo sac. congreg. Immunit. ad tollenda inconvenientia in *Neritonensi* 18 Januar. 1628, censuit, « capellam cum beneficio esse removendam a domo privati; » apud card. Petra, tom. I *Commentar. ad constit. 2 Paschal. II*, n. 80.

(82. Quo autem ad hæc oratoria privata attendenda nunc est novissima dispositio sac. congr. Concil. et Benedicti XIV, in sequenti decreto, quod hic ad litteram datur.

DECRETUM

JUSSU SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI BENEDICTI XIV

Editum circa celebrationem missæ in oratoriis privatis. Die septima Jan. MDCCLXI.

« Cum duo nobiles conjuges diocesis Marsicen. obtinuissent a Sede Apostolica Indultum pro celebratione missæ in privato suæ domus oratorio, sic conceptum: « Dilecte fili et dilecta in Christo filia, salutem et Apostolicam benedictionem. Spirituali vestræ consolationi, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, vosque favoribus spiritualibus et gratiis prosequi volentes, et vestrum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et pœnis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutas fore censentes; »

« supplicationibus vestro nomine Nobis, super hoc humiliter porrectis inclinati, vobis, qui (ut asseritis) loco Gallichii, et Messanelli Marsicen. seu alterius diocesis, jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercendo, baro et baronissa respective existitis, ut in privatis domorum vestræ habitationis in civitate, et diocesi Marsicen. existentibus oratoriis ad hoc decenter muro extractis, et ornatis, seu extruendis, et ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per ordinarium loci prius visitandis et approbandis, ac ipsius ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem domibus celebrandi licentia, quæ adhuc daret, alteri concessa non fuerit, per quemcunque sacerdotem ab eodem ordinario approbatum sæcularem, seu de superiorum suorum licentia regularem, sine tamen quorumcumque jurium parochialium præjudicio, ac Paschalis Resurrectionis, Pentecostes, et Nativitatis Domini Nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis in vestra, et notarum, consanguineorum, et affinium in eadem domo, vobiscum insimul habitantium, et quoad oratoria, ruri existentia, etiam in hospitum nobilium vestrorum præsentia celebrari facere libere et licite possitis, et valeatis, ac vestrum quilibet possit, et valeat, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, et indulgemus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod familiares servitiis vestris, tempore dictæ missæ, actu non necessari, ibidem missæ hujusmodi interessentes ab obligatione audiendi missam in ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censeantur.

« Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majoram, sub annulo Piscatoris, die 12 Februarii 1739. »

« Cumque exorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi indulti liceret missam celebrari in privato oratorio, etiam sine præsentia alterutrius ex dictis conjugibus, in quos indulti concessio directa erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum doctorum pro affirmativa, et negativa respective sententia inter se certantium, sacre congregationis Concilii, ad quam hujus questionis resolutio delata fuit, die tertia Decembris 1750, censuit: « Non licere. » Deinde vero Sanctissimus Dominus Noster, reprobata contraria doctorum sententia, prædictam sacre congregationis resolutionem nedum approbavit, verum præsentibus decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri non posse vigore similis indulti celebrari missam in privatis oratoriis, quando eidem missæ actu non intersit aliquis ex iis quibus principaliter indultum concessum est; indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ a tergo ejusdem

brevi proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine praesentia alicujus ex dictis personis, minime liceat missae sacrificium peragi; etiamsi praesens sit aliquis, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem brevi memoratis, quippe quibus nil aliud per hujusmodi breve conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares juxta clausulam in iisdem brevibus insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assistens missae, quae celebratur in oratorio privato in praesentia alicujus ex personis a tergo brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi missam diebus festis de praepcepto. Sublata igitur, et proscripita quacunqueminus germana interpretatione ejusmodi brevium et indultorum in contrarium hactenus facta, Sanctitas Sua ita declaravit, et servari omnino mandavit, districte praecipiens, ut omnes episcopi alique locorum ordinarii, etiam tanquam a Sede Apostolica delegati executioni et observantiae hujus decreti diligenter incumbant per canonicas penas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas.

« A. card. GENTILI praefectus.

« C. A., archiepiscopus Philippen. secr. »
(83. Oratorium publicum obtenta prius a sacra congregatione Concilii translatione onerum, potest, clausa janua viae publicae, reduci ad oratorium privatam. « Sacra congreg. Immunit. in Lucana 19 August. 1740; lib. I Decret. Vallem., pag. 604. Capella erecta in privatis domibus cum dote et titulo non cadit sub decreto prohibitionis de celebratione missarum in privatis oratoriis. Sac. congreg. Conc. in Polignanen. 23 August. 1653, lib. XIX Decret., pag. 688, apud Ursayam, *Instit. crimin.*, lib. I, tit. 10, § 2, n. 85.

(84. In oratorio privato, in quo ex causa infirmitatis a Sede Apostolica conceditur facultas celebrandi missam in die Nativitatis Domini, tres missae, non autem una duntaxat, ab eodem sacerdote celebrari possunt. Sacra Congr. Concil. in dubio oratorii privati 20 Januarii 1725, apud *Thesaurum resolutionum sacrae congregat. Conc.*, tom. III.

(85. Oratoria privata non solent facile concedi in domibus mulierum in communi viventium, ut nolant doctores passim, et praesertim Nicolius in *Flosculis*, verb. *Clausura*, n. 38, in fine; Ursaya, t. VIII, part. II, disc. 6, n. 8 et sequent., Monacell., t. II, tit. 6, formul. 19, n. 19 et 20, et patet ex pluribus sacrarum congregationum decretis, et signanter in una *Panormitana* 14 Februar. 1699, in qua sac. Congr. Conc. non obstante favorabili voto reverendissimi archiepiscopi, similem instantiam congregationis mulierum rejecit, quam refert, et sequitur Monacell., *loc. cit.*, n. 20, et *ibidem*, n. 19, referendo aliam resolutionem sacrae Congr. Episcop. et Regul. in *Imolen.* 20 Februar. 1694, advertit sacras congregationes, non solum non esse faciles ad concedendas similes gratias, sed nec etiam approbare similia mulierum collegia, illa simpliciter tolerando

ad custodiendam honestatem, et libero relinquendo sub ordinario cura, et jurisdictione. Et quidem merito denegantur similia indulta, quia hujusmodi congregationes mulierum sine clausura viventium sunt contra expressam dispositionem, et prohibitionem Pii V constitutione incipiente *Circa pastoralis officii* relat. a nobis sub. verb. *TERTIARIE*, n. 15, ubi quod tales mulieres possunt hoc tempore prohiberi, ne in communitate maneant, nisi professionem cum quarto voto de perpetua clausura emittant ad formam dictae Piana constitutionis, ut de facto Urbanus VIII constit. incip. *Pastoralis Romani Pontificis*, suppressit et annullavit quamdam hujusmodi mulierum congregationem; unde similes congregationes mulierum, vel penitus dissolvuntur, vel si tolerentur, remanent sub omnimoda jurisdictione ordinario, ut pluries respondit sacra congregatio, cum Episcop. et Regular. sacra Concil. *Vide ibi* a n. 15, 16 et 17.

(86. Oratorium esse publicum per multa ostendit, et probat erudite de more D. Ursaya tom. I, part. II, discept. 23. Et signanter ab altari fixo, et stabili, *ib.* n. 95; ab admissione plurium personarum ad audiendas missas, *ib.*, n. 95; a campana, et campanili ibi existentibus, *ib.*, n. 91 et 99; a celebratione multarum missarum in illo secuta, *ibidem*, n. 94, a celebratione missarum per spatium decennii, *ib.*, n. 96; a celebratione festivitatis illius sancti, cui est dicatum, *ib.*, n. 97, a porta correspondente viae publicae, *ib.*, n. 92. Nec cessat esse publicum, etiamsi habeat januam in interiori atrio, seu cortili palatii, *ib.*, n. 29, ex decret. sac. congreg. Episcop. et Regul. in *Ostunen.* 20 Mart. 1698, et sacrae congregat. Concil. in *Compsana* 31 Maii 1704 et 8 August. 1705, ibique n. 30, affert exempla Urbis, et idem asserit sub n. 60. adducens ad litteram cit. decret. in *Ostunen.* confirmat. 9 Mart. 1702. Nec publicitati oratorii detrahit, quod aditus ipsi detur per scalas, seu porticum per viculum, aut aedes privatorum, *ib.*, n. 27, adducens ad id etiam decisionem sacrae Rotae. Et a fortiori non desit oratorium esse publicum, quando patronus cedit juri, quod habebat in situ ante illius portam, *ib.*, n. 25 et 26, referens per extensum magistralem decisionem sacrae congregat. Episcop. et Regul. in *Placentina* 14 Novemb. 1626, ac dicens, quod talis resolutio vim legis habeat, et tanquam talis servanda sit; et ibi per tot. dictam disceptationem 23 *Pisaurum*. oratorii, sic docte et erudite scripsit, quod plurimis juribus, et decretis, ac innumeris doctoribus ad rem adductis, victoriam reportavit contra curiam episcopalem Pisauri in sacra congregatione Episcop. et Regular. quae ponente eminentissimo cardinali Rubino die 2 Jun. 1706, rescripsit: « Attenta refectione praetorii, vicarij Apostolici permittat celebrationem missarum et festi Nativitatis B. V. M. circumscripto processu in curia episcopali fabricato super praetensa falsitate testium. »

(87. Et oratorium esse publicum, declaravit sac. congregat. Concil. in *Savonen.*, in

qua, propositis binis hisce dubiis: « I. An aedes sacrae S. Mariae de Areneto sit ecclesia publica vel oratorium privatam in casu. II. An constet de nullitate, et injustitia interdicti, et respective suspensionis a divinis in casu, etc. » die 28 Jul. 1724, prodiit rescriptum: « Dilata, et fiat planta judicialis, et addatur dubium juxta mentem. » Et reposita causa sub dubio: « An sit standum, vel recedendum a decisio in casu, etc. » die 9 Septembr. 1724 responsum fuit: « Praevio recessu a decisio, ecclesiam esse publicam, facta tamen per senatorem imperialem in publico instrumento declaratione, se nullum jus habere in area sita ante ecclesiam, nec non quod claves tam ecclesiae, quam aedae praedictae retineantur a capellano, et ad D. secretarium cum Sanctissimo pro declaratione, quod area non gaudeat immunitate. Et quoad secundum affirmative, et amplius. » Sic apud *Thesaurum resolutionum sacrae congregat. Conc.*, tom. III. Et in *Ruben.*, die 29 Jul. 1731, ad dubia: « I. An licita sit celebratio missarum in oratorio, de quo agitur; et quatenus negative. Et II. An, et quomodo sit providendum in casu etc. » ead. sac. congreg. Concil. respondit: « Ad I. Affirmative, et amplius. Ad II. Provisum in primo. » Apud d. *Thesaurum*, tom. V.

(88. Et in *Nitrien.*, die 2 Februar. 1735, ad dubia: « I. An constet de valida consecratione oratorii, de quo agitur in casu, etc. II. An idem oratorium sit publicum, seu potius privatam in casu, etc. » ead. sac. congregat. Conc. respondit: « Ad I. Affirmative. Ad II. Affirmative quoad primam partem, et negative quoad secundam; imposita tamen obligatione comiti Josepho retinendi apertas fores atrii de die, et constituendi capellam congrue dotatam. » Apud d. *Thesaurum*, tom. VII, ubi ab eminentissimo cardinali Cavalchini, tunc sacrae congregat. secretario in sua eruditissima causa expositione adducuntur ad rem sequentia decreta.

(89. In *Nullius* die 13 Januar. 1626, eadem sacra congregatio censuit, « committendum esse ordinario, ut ubi orator publico instrumento se obligaverit, semitam, qua itur ad capellam, cuicumque liberam in perpetuum servare, atque illius situs dominio, ac juri efficaciter renuntiaverit, declaret, capellam ipsam non comprehendere in decreto a congregatione edito de privatis oratoriis, petitamque celebrandi licentiam pro suo arbitrio concedat; ubi tamen prius dictam capellam visitaverit, ac divino cultui peragendo aptam, ac decentem esse compererit, atque ita ut nullum hinc praedictum inferatur juribus parochialibus ecclesiae; » ut in lib. XIX Decret., pag. 316. In *Vercellen.*, ubi episcopus prohibuerat, ne diebus solemnioribus missa celebraretur in oratorio intra mœnia castri Catalangi existente; et comitibus de Catalango exponentibus, idem oratorium esse sacra supellectili instructum, ab inmemorabili tempore in eo nocte Nativitatis Domini pluries celebratam fuisse missam solemnem, episcopos antecessores illud vi-

silasse, in eo administratum fuisse sacramentum confirmationis, et tandem publicum, et liberum ad illud haberi aditum, cum nocturno tantum tempore clauderetur janua praedicti castri: sac. congreg. die 3 Augusti 1675, respondit, « oratorium esse publicum, adeoque licitum esse ibi celebrare festis etiam solemnioribus, » ut in lib. XXIX Decret., pag. 124.

(90. In *Compsana*, cum oratorium in aula palatii baronis Castri Novi situm, ecclesiastico interdicto fuisset suppositum, nec non prohibitum sacrosanctum missae sacrificium ibi celebrari, nisi doceretur de legitima facultate Apostolica, eo sub fundamento, quod ad ipsum publicum non patebat accessus, ac intra septa palatii existebat, ita ut privatam, et non publicam dici deberet, memoratus baro, et Scipio ejus filius postulantes ab hac sacra congregatione praedictum oratorium publicum declarari, ostendere saeperunt, idem oratorium habere fixum altare marmoreum, et campanile cum campana pro convocatione populi ad audiendum sacrum, dicatum esse S. Joanni Baptistae, festum ejusdem sancti titularis solemniter celebrari cum totius cleri assistentia, ibique erectum reperiri beneficium sub eodem titulo S. Joannis Baptistae de jure patronatus baronum dicti castri, nec non procuracionem episcopo dictum oratorium visitanti persolutam fuisse, proposito inter caetera dubio, « An interdictum emanatum per visitatorem sub fundamento, quod oratorium sive capella, de qua agitur, sit privata, et non publica, sustineatur in casu etc. » Die 31 Maii 1704 responsum fuit *Negative*, ut in lib. LIV Decret., pag. 216.

(91. Imo reposita causa ad instantiam episcopi Compsani, existimantis non convenire, nec licere quod atrium palatii baronis pro libito claudi posset, quodque per palatium ad capellam haberetur aditus, discussa fuerunt duo haec dubia: « I. An aperiendum sit ostium capellae in via publica, vel potius removenda sint valvae impediennes ingressum in atrium? II. An liceat baroni per palatium ad ecclesiam descendere in casu, etc. » Et eadem sac. congreg. Concil. die 8 Augusti 1705, respondit: « Ad I. Negative. Ad II. Affirmative, in casu, de quo agitur, » ut in lib. LV Decret., pag. 292. Sic ad litteram dict. eminentissimi Cavalchini in citat. *Nitrien.* ubi refert etiam supradictas resolutiones in *Savonen.* sub die 28 Julii et 9 Septembris 1724.

(92. Quamvis supra oratorium, seu capellam, aut ecclesiam nequeant esse camera, vel loca ad habitandum, dormiendum, deambulandum, aut ad alium usum profanum, ex dictis et decretis allatis supra num. 18, et sub verb. *ECCLESIA*, art. 5, n. 5, subtilius tamen ipsa possunt adesse horrea, cellae vinariae, aut apothecae, ut plura adducens exempla Urbis de oratoriis, ac etiam de ipsismet ecclesiis parochialibus, ac pluribus ad id allegatis doctoribus defendit D. Ursaya tom. I, part. I, discept. 40, a n. 136 ad 138, ubi insuper refert, quod ita in terminis

respondit sacra congr. Episcop. et Regul. in Reatina 6 Jul. 1706, et S. cong. conc. in Pisaur. Oratorii 23 Februar. 1710.

(93. Oratorii erectioni locum esse in collegio, ut in eo valeant missæ quolibet die, et etiam festis solemnibus celebrari, et sacramenta administrari convictoribus, discipulis, atque domesticis in collegio actu degentibus, et illi inservientibus, excepta comm. Paschali, respondit sac. congr. Conc. in Sut. Oratorii 11 Jun. 1718, apud d. Thes., t. 1.

(94. Sed præ omnibus attendenda est sequens novissima constitutio Benedicti XIV juxta quam sunt nunc moderanda varia ex supra traditis, quamque idcirco veluti normam, et regulam hæc in re servandam, ad litteram subnectimus.

Epistola encyclica ad primatem, arch. et episc. regni Poloniæ.

« BENEDICTUS XIV.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Magno cum animi nostri dolore a Nobis intellectum est nonnullas in diocesis vestris controversias, ac molesta dissidia, propter oratoria privata, insurrexisse, quibus præcidendis cum omni per vos cura, ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato fine frustrati sitis, sed in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem et notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde a vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certæ vobis regulæ indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati oratorii privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut cum ordinationes vestræ Pontificia auctoritate nostra munitæ fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris atque æstimationis pondus accedat. Licet autem vestræ hujusmodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis conformis, quam alios etiam, quorum scriptores, dum de privatis oratoriis agunt, ea Sanctæ Sedis decreta vel dissimulant, vel ignorant, quæ assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum Nos venerabiles personas vestras præcipuo ac speciali affectu prosequamur, per encyclicam hanc epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorundem decessorum nostrorum, tum nostram hæc super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, præter obedientiam, quæ eisdem debetur ratione auctoritatis, a qua, velut a fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materiæ ipsius nomine, quæ eorum objectum est, quæque in quæstione versatur, cum omni hujusmodi res ab Apostolicis privilegiis dependeat, quorum explicatio privativo jure Summis Pontificibus reservata

est, cumque eadem præcipuam normam desumere debeat ex intentione illius, a quo concessio facta est, cujus sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet, adeo ut quidquid a vobis secundum ea quæ in encyclica hac epistola nostra continentur, ordinabitur, et statuetur, id pro exsequendis Summorum Pontificum præscriptis præstitum esse dicendum sit; cujus rei gratia Apostolicorum delegatorum qualitate et auctoritate fraternitatibus vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, nos ipsarum præsentium litterarum tenore vobis ad hujusmodi effectum concedimus, et impartimur.

« § 1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat sacella, quæ in episcopaliibus palatiis vestris habetis, pro missa, vel per vos, vel per alios celebranda, aliave quapiam sacra functione, quæ officii ac dignitatis vestræ propria sit, obeunda, de quibus late disserere Nobis perfacile esset, nisi hæc a proposito nostro alienum foret: quare duo tantummodo vetusta sacellorum exempla indicabimus, quæ episcopi in proprio episcopio a publicis ecclesiis distincta, ac separata habebant, in quibus sanctum missæ sacrificium celebrabant. Horum primum sacellum est sancti Cassii episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in homilia 37 super Evangelia narrat quod, licet gravi morbo opprimeretur « in oratorio episcopi sui « missas fecit, » tam ut propriæ quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Joannis eleemosynarii ep. Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius a Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui, missa nondum peracta, discedebant, quum ipse ad eandem celebrandam in publicam ecclesiam se conferebat, dicere in more habebat: « Ego propter vos descendo in sanctam ecclesiam, nam poteram mihi met « facere missas in episcopio. » Prædictum exemplum legere est apud Thomassinum *De veteri ac nova Ecclesiæ disciplina*, p. 1, lib. II, cap. 93, num. 5. Alia exempla in opere *De oratoriis privatis* inscripto cap. 6 collecta reperiuntur (quod opus novissime a Joanne Baptista Gattico canonico Lateranensi Romæ in lucem editum est), per quæ episcoporum jus circa sacella in propriis episcopaliibus palatiis habenda validis fundamentis innixum comprobatur.

« § 2. Huic quidem juri sacrum Trident. concil. nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo, sess. XXII, *De observandis et evitandis in celebratione missæ*, propter multa, quæ parum decenter fieri identidem contingebat, episcopis præcepit, ne sæcularibus ac regularibus missam celebrare permitterent « privatis in domibus, » et extra ecclesias aut oratoria publica, quæ divino cultui destinata essent; quod nullum cum capellis, quæ in episcopaliibus palatiis sunt, rationem habet, quum hæc sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries a congregatione venerabi-

lium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium ejusdem concilii Tridentini interpretum, in aliquot ejusdem resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in nostro *De sacrificio missæ* tractatu retulimus, sect. 2, § 45 et seq., latinæ edit. Patavinæ. Nos enim, tunc etiam cum in minoribus constituti opus aliquod scriberemus, illud præcipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte a Romanæ curiæ tribunalium sententiis recederemus, quibus ut plurimum a Pontificis oraculis auctoritatis robur accedit.

« § 3. Illud tantummodo de hujusmodi episcoporum privilegio dici poterat, quod cum idem ad sacella, quæ in episcopis sita sunt, restringeretur, nullo modo episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos versarentur, cum visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut cum vel missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas ecclesias se conferre cogerentur, vel a locorum ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel missam celebrari facere, vel ipsis eandem celebrare, in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

« § 4. Verum recol. mem. prædecessor noster Bonifacius Papa VIII in decretali sua: *Quoniam episcopi*, De privilegiis, in sexto, male factum reputans episcopos sine rationabili causa missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eidem concessit, ut etiam extra propriam diocesis altari portatili, seu viatico uterentur: « Præsentem constitutionem indulgemus iisdem, ut altare possint habere viaticum, « et in eo celebrare, aut facere celebrari, « ubicunque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare, vel a dire divina. » Dignum animadversione verbum est *Ubique*, quod quidem procul dubio loca etiam, quæ extra diocesis sita sunt, comprehendit.

« § 5. Præcipuum etiam animadversionem dictæ congregationis Concilii resolutiones merentur, cum ad quæsitum eidem propositum, num videlicet episcopos, qui extra propriam diocesis est, ad utendum privilegio altaris viatici, petere ejus rei veniam ab episcopo locali teneatur; minime eum teneri respondit; alioqui frustratorium Bonifacii VIII privilegium fuisset; quoniam illius Pontificis ætate antiquum jus in suo vigore perstabat, cui, quemadmodum mox dicitur, a concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod episcopi facultatem concedebant missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem congregationi alterum quæsitum propositum fuisset: num privilegio per Bonifacium VIII episcopis concesso, vel Tridentinum concilium, vel Pontificis Pauli V decretum, de quo pariter mox dicitur, præjudicium ullum attulissent, nihil pariter privilegio illi detractum fuisse respondit: cum tam in concilio, quam in citato decreto, sublata quidem episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus missam cele-

brandi concedere possent, verum nequam juribus illis exspoliati remanserint, quæ proprias personas respiciunt, quæque eorundem dignitatis, atque characteris propria sunt. Prædictæ resolutiones a nobis referuntur in nostro tractatu *De sacrificio missæ* latine editionis Patavinæ, sect. 2, § 42, nec non in *Commentariis* bon. mem. cardinalis Petra *ad constitutiones Apostolicas*, tom. IV, super constitutione 2 Urbani V, n. 15 et seq., et a Gattico in recenti ejusdem tractatu *De oratoriis domesticis*, in tit. *De usu altaris portatilis*, cap. 12, n. 1 et seq.

« § 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus præjudicium privilegiis afferre quam abusus eorundem, quod quidem satis, superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus privilegii altaris portatilis, quod concessum episcopis est, et quod post concilium Tridentinum, ac Paulinum decretum illæsum remansit. Certis indicis compertum fuit, quosdam episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra diocesis, ad laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur missæ, faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut proprium privilegium ostentarent, vel ut laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusce inconvenientis notitia ad Concilii congregationem pervenisset, non prætermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdemque abusus corrigendi curam archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subjectis contigisset. In codicibus actorum, seu regestis congregationis prædictæ lib. XLVIII *Decretorum*, fol. 471, Resolutiones ipsæ referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, a felicis recordationis prædecessore nostro Clemente Papa XI, die 15 Decembris 1703, sequens decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: « Episcopi etiam in « aliena diocesi extra domum propriæ habitationis in privatis laicorum domibus « erigi faciunt altare, ibique per unum, aut « per plures e suis capellanis vivificam « Christi hostiam immolant; ad remedium « gradus fit: ad abusus eliminandos, etc. « Sanctiss. dominus noster, etc., expresse « declarat, episcopis, et his majoribus prælati, etiam cardinalatus honore fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi « in corpore juris, neque alio quocunque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus laicis, etiam « in propria diocesi; quod fortius intelligitur in aliena, etiamsi diocesiani consensus « adhiberetur, erigere altare, ibique sacrosanctum sacrificium celebrare sive celebrari facere. »

« § 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositum fuit, ut abusus tollerentur; nunquam autem, ut recto privilegii usui quidquam detraberetur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla, et effrenata, cuiquam præbere